



PRODRONUS  
LIBRI QUINTI  
HORTUS OLITORIUS  
ET MEDICUS.



*Non fuit immeritò priscis Olitorius Hortus  
 Nomine condigno pinguis Succidia dictus,  
 Suppeditat semper Domina qui Fercula Mensæ  
 Per cunctos Anni Articulos, etiam horrida Bruma  
 Non eget, en didicit Natura à Frigoris aurâ  
 Impositas Cellis, daret ut non parcius, herbas  
 Custodire sagax, Hyemisquè evincere fraudes.  
 Idem Hortus mihi Carmen erit, defendere primò  
 Sepibus hunc liceat, vel forti includere muro,  
 Sive etiam claustro circumvallare virenti.  
 Perquirunt tenores per Sylvarum abdita sentes  
 Diversosquè rubos, spinasquè ex montibus albas,  
 Campestrès prunos, & acuto Murice Rhamnum  
 Et paliurum horrentem armis, fruticesquè rosarum;  
 Quos omnes Terra infodiunt, atq; ordine pulchro  
 Instruere incipiunt, ut cingant eminus Hortum.  
 Dein ubi succrescunt, petulantia brachia tondent,  
 Compescentquè comas, crescentis Sidere Phœbes;  
 Illi vires ingeminant, frondesquè fluentes  
 Undique diffundunt, annus sic si unus & alter  
 Præteriit, puer, arte vagos innecte capillos  
 Et confunde simul, donec procerior auras  
 Et satis ascendat latus, tum Forfice veram*